

**Zeitschrift:** Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum  
**Herausgeber:** Litteris Conradi Orellii et Soc.  
**Band:** - (1750)  
**Heft:** 19

**Artikel:** Reformatio ecclesiastica Haganorum in baronatu Alto-Saxensi, [...]  
**Autor:** Thomannus, Casparus  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-394676>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

**Download PDF:** 21.12.2024

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

---

Reformatio Ecclesiastica  
 HAGANORUM  
 in Baronatu ALTO-SAXENSI,  
 delineata

a

CASPARO THOMANNO,  
*V. D. M. & Ludi Abbat. Turic. Moder. Vic.*

---

Pars altera.

---

§. XVI.

**Q**UUM hic Pastor GROBIUS sit Minister, cujus opera benignissimus DEUS ad convertendos Haganos est usus, non abs re erit, ut vitam ejus paucis verbis exponam. JODOCUS GROBIUS honestis Parentibus *Georgio Grobio & Elisabetha Giezendanner* in vico *Crumenau* Comitatus Toggici Ao. 1611. natus; in prima juventute jam patre orbus Scholam Herisovianam frequentans prima germanice legendi & scribendi rudimenta didicit, & quia adolescens insignibus donis præditus cognoscebatur, Tigurum missus & S. Ministerio consecratus fuit: ibi Hospitio & Convictu D. *Felici Wyssi* tum temporis Ecclesiæ Cathedralis Diaconi usus, tantam diligentiam litterarum studiis impendit, tamque probam vixit vitam, ut ab omnibus suis Præceptoribus & Professoribus,

bus, inprimis etiam a Ven. D. Antistite *Breitingero* usque ad vitæ finem mirifice fuerit amatus & studiose cultus. Ipse cursu & Scholastico & Academico feliciter confecto a Senatu Ecclesiastico manuum impositione Ministerio S. fuit initiatus in IXbri Ao. 1630. qui erat annus ipsius ætatis undevicesimus, & dein honorifico Testimonio a Ven. Antistite *Breitingero* ornatus in Toggium ad suos rediit.

§. XVII.

In Patria sese præstitit diligentem ac probum; in concionando multum se exercuit gratusque erat Præco, inde factum, ut sesquianno elapso die 26. Martii Ao. 1632. *Joanni Rieggen* Palatino - Ambergenfi pie defuncto in Pastorem cœtus Crumenau & Cappel, qui tum temporis erant combinati, a Præfecto Sancto-Gallensi D. *Rudolf Rheding* (a) sufficeretur; Et primam concionem ex Evangelio Marci XVI: 15. 16. dixit.

Non multum post de fida vitæ comite & thori Socia sibi prospexit, ejusque consilium Deus ita fortunavit, ut Virginem frugi & castam *Regulam Abegg*, Viri & Civis Tigurini honestam Filiam in uxorem sibi adjungeret. Horum Nuptias pia concione die 8. Maji Ao. 1632. initiavit *Adam Küblers* Pastor Wattweilanus & Capituli Toggici Decanus; quas postea magna hominum frequentia (b) læto convivio celebravit. Ipse ab uxore

D d 5

in

---

(a) Illo tempore etiam Pastores Evangelicos in Toggio Abbas S. Galli vel ejus Præfectus Liechtensteigæ eligebat; at nunc temporis hoc eligendi jure quivis cœtus gaudet, & ipsemet suos sibi Pastores eligit.

(b) Erant centum & octoginta Convivæ Nuptiales.

in familia multum adjutus eo majorem in officio suo sacro administrando præstitit operam. Diebus Dominicis explicare cœpit Evangelium S. Matthæi; in instituendis liberis erat clarus, facilis, mansuetus, sed tamen & gravis; Errores modeste refutavit, vita graviter increpavit, ægrotantes diligenter visitavit, afflictos suavi solatio animavit; in vita quotidiana & consuetudine hominum & ipse & ejus uxor erant affabiles, comes & officiosi, unde ab omnibus, etiam a multis Pontificiis, diligebantur, favore & beneficiis honorabantur. Inprimis Grobius noster suator & auctor fuit, ut in Ecclesiis Toggicis Reformatis instituerentur & haberentur Catechisationes Ecclesiasticæ; cui quidem instituto ceu novæ rei Sacerdotes Pontificii acriter sese opposuerunt. At noster spretis omnibus minis imperterritus, impiger ac indefessus quod ocepit opus perrexit, nec exiguum Ecclesia inde nacta est lucrum, nam illi, qui veritatem jam profitebantur in illa non mediocriter confirmabantur, alii vero a via aberrantes reducebantur & ad Religionem Evangelicam convertebantur.

### §. XVIII.

Facile autem est conjectu quantam invidiam hæc res, quantas molestias atque insidias *Grobio* nostro apud Sacrificulos concitaverit; ipse quidem omnes tentationes & laqueos non tam fortis, quam providus, cautus & modestus elusit, (a) nec tamen

---

(a) Ex multis tantum duo referam exempla, 1. Aliquando cum concionandi vices *Grobium* tangerent, in pulpito Cathedræ idolum ligneum ipsi erat positum, quod tacitus ipse seposuit sine ulteriori motu vel querela; alte-

men diu immunis ac impunis mansit. Nam Abbas S. Galli Toggicorum jura Ecclesiastica & religionis libertatem Reformatis non parum immittit: inprimis Ao. 1633. Abbas Nomine PIUS res multas innovavit & Evangelicorum humeris infuetum imposuit onus; v. gr. ut Præcones etiam Evangelici ex more Pontificiorum Salutationem Angelicam, sive ipsorum *Ave Maria!* publice pro Cathedra dicerent; Nomen Mariæ si compelletur, item meridiei & vespæ signum campana si datur, pileum omnes moverent; Sepulchris suis cruces imponerent; Mulierum Baptisma admitterent, & quæ sunt plura alia. Hisce rerum innovationibus et oneribus, quæ Instrumento Pacis, uti vocatur, *Lands-Frieden*, veteri consuetudini ac legi con-

---

ra dein vice cum idem fieret, ipse templum ingrediens illudque videns clara voce jussit: Hunc mihi semovete; *Thun mir den dort dânnen.* 2. Monachi & alii Pontificii crebro ipsum convenerunt & suis colloquiis illaqueare studuerunt. Aliquo tempore Villæ Ammannus Bridler colloquium religiosum cum ipso instituit, quod Grobius humaniter renuit. Ast nihilominus Ammannus ita facti incipit: Ego non curo, utrum veram an falsam fidem profitear, sed hujus rei rationem olim reddendam Sacrificio meo relinquam. Grobius respondit: Sed tamen Scriptura dicit: Suum quisque feret onus. Gal. VI: 5. Item: Justus sua vivet fide. Hab. II: 4. Ad hæc Ammanni profana mens in foeda hæc erupit verba: Si Deus in novissimo die mihi diceret, Ammanne! vade in orcum, quia ita credidisti; Ego responderem: Non mehercule! mihi non sic, sed meas heic vices agat Sacrificulus, qui me ita credere docuit. Grobius placide regessit: Doleo tuum errorem atque inscitiam, nam olim non ita fiet, ut putas, sed quivis malus & impœnitens in judicii die cujuscunque otiosi verbi, quod locutus fuerit, rationem erit redditorus.

contraria, modeste sed et fortiter noster *Grobius* se opposuit, idque facere renuit. Rem litteris sub die 19. Aprilis Ao. 1633. exaratis ad Ven. D. Antistitem BREITINGERUM perscripsit, et per illum Magistratus Tig. opem imploravit. Interea temporis Pastor *Grobius*, quia Abbatis Mandatis morem non gessit, in iudicium Toggicum, germanice *Land-Gricht*, vocabatur, ut causam diceret: ipse dubius quid factururus cum amicis sibi bene cupientibus et coram et per litteras hac de re deliberavit, tandem nullius criminis sibi conscius et auxilio divino fretus coram illo iudicio comparuit. Multum illic inquirebatur, variæ ipsi fiebant minæ, terror incutiebatur cum Apparitor publicus pone ipsum stans carceris claves jactaret, quasi ipsum in vincula esset conjecturus; Præfectus et Iudices sæpius eum sollicitarunt, ut commissorum veniam peteret; ast ipse anguem sub herba latere videns, id facere recusavit, et potius intrepidus causam dixit et Præfecti petito modestus respondit: culpæ si sit reus, se ejus pœnam patienter sufferre esse paratum. Et tandem ipsum impunem quanquam graviter interminantes dimiserunt iudices.

§. XIX.

*Grobius* noster periculis hisce liberatus et sibimet redditus Deo summas egit gratias, et eo majori industria ac sanctiori fervore suum obiit munus. Cum autem injuriæ et afflictiones adversus Ecclesiam Reformatam, ejusque Ministros in Toggio, præcipue adversus *Jodocum Grobium* non imminuerentur, sed magis magisque auferentur, quatuor Pagi Helvetiorum Evangelici anno sequente, nempe Ao. 1634. sub die 2. Aprilis exaratas litteras intercessorias

rias ad Abbatem Sancto-Gallensem miserunt, quibus eum rogarunt, ut sublatis iis, quæ innovaverat, Toggicis pristinam Religionis libertatem restitueret, ejusque liberum exercitium concederet. Et postquam hæ litteræ Abbatem nihil moverunt, Pagi Evangelici in conventibus Badensibus res Toggicas accuratius pensitantes deliberarunt ac decreverunt Legatos ad Abbatem mittere; At Abbas his rebus magis exacerbatus quam mitigatus *Grobium* a pastoratu amovit, et licet ejus Cœtuales apud Abbatem ejusque Præfectum Liechtensteigæ sui Pastoris restitutionem et submissa prece et ducentorum aureorum pretio flagitarent, uterque inexorabilis repulsam dedit, causam interferens, ipsum et Turbarum Auctorem et Subditis Suasorem esse, quo minus sibi comitatus Domino essent dicto audientes, proin se eum diutius sufferre nec velle nec posse. (a)

§. XX. Grobio

---

(a) Fictæ & falsæ hæ accusationes erant, & quod Pastor Grobius absque ulla vitæ scelerisque culpa fuerit amotus clare patet ex duplici Testimonio, quod partim Ministerium Toggicum, partim Abbatis Præfectus exhibuit, quod utrumque quia veritati litat & innocentem tuetur, apponere lubet; malo autem in lingua originali dare, quam in latinam convertere.

\*) Testimonium Ministerii Toggici Jodoco Grobio exhibitum ita se habet: Wir die Diener an dem H. Evangelio in der Graffschafft Toggenburg thun kund hiemit öffentlich, daß Zeiger dieß, der Ehrwürdig und Wolgelehrt Herz Joß Grob Toggius, gewesener Diener der Kilchen Krumenau und Cappel, vor uns erschienen und ganz inständig begehrt einen freundlichen Schein und Rundschaft, weilen Er von einem Herrn Abt und dessen

§. XX.

Grobio ita nulla sua culpa exauctorato DEUS  
 providit. Nam cum sibi de domicilio in urbe  
 Tiguro

---

Landvogt Seiner Kirchen-Diensten beurlaubet und nothwendiger Weis getrungen werde wegen besserem Nutzen und Frommen von uns zu scheiden, wie Er Sich bey uns in währendem Seinem Predigt-Amte verhalten; dessen Er gegen männiglich wüsse zu geniessen und zu trösten. Wann nun Zeugnuß der Wahrheit dem Begehrenden nicht soll versagt, sondern vielmehr ertheilt werden, als haben wir Ihme, den wir ohn das zu befördern begierrig, Sein ehrliches und billiches Begehren des Orts auch nicht abschlagen sollen noch wollen.

Bezeugen demnach Vermög vor uns beschehener Aussag durch den Frommen, Fürnehmen und Ehrsamem Herrn Daniel Popper Kirchen-Pfleger zu Krumenau; Herrn Hans Böschen zu Cappel, Herrn Jos am Bühl zum Wasser, daß wol ermeldter Herr Jos Grob, nachdem Er auf Anhalten beyder Gemeinden Krumenau und Cappel mit Bewilligung Ihr Fürstl. Gnaden von dem Edlen und Bestrengen Jr. Joh. Rudolff Rheding Landvogt der Graffschafft Toggenburg angenohmen und ihnen zu einem Vorsteher vergünstiget worden: Er solch Sein anbefoh. en Amt schier in das dritthalb Jahr mit ernstlichem Predigen und fleißiger Unterrichtung der Jugend in allen Treuen und gutem Vergnüaen Seiner Zuhöreren, ( als die Ihn, wann es anderst Gottes Will, gern langer gehört, gehrt und behalten hätten, ) versehen, und in Seinem Leben frommlich, ehrlich und nüchter Sich erzeigt, also daß auch wir Diener der Kirchen Ihne, weil er brüderlich mit uns conversiret, zugleich auch den Statutis Synodalibus gemäß gelebt, wolruhmlich nachsagen können: Er habe wiewol noch jung von Jahren, danneroh Sein von Gott vertrautes Talent zur Beförderung der Ehren Gottes und Auferebauung seiner H. Kirchen nuzlich angewendt: Summarim Sich im Lehren, eifrig und im Leben



Tiguro prospiceret, ipsi contigit alia vocatio et promotio ad novam Parochiam *Siltanam*, de qua supra

und Wandel exemplarisch verhalten: Bitten derhalben alle und jede, zu welchen mehrgedachter Herr Jos Grob dießmal kommt und künftig kehren wird, was Würde, Wesens oder Stands sie seyen, daß sie Ihne Herrn Groben als einen frommen und züchtigen Lehrer für empfohlen haben; Das wollen wir um einen jeden nach unserem besten Vermögen zu allen und jeden Begebenheiten mit grossem Dank beschulden und verdienen; Und des zu mehrerem Gezeugnuß ist dieß Testimonium mit unsers Capituls gewöhnlichem Insigel verwahrt und gegeben worden in dem 1634sten Jahr; Bezeugen wie obstaht die Diener am H. Evangelio im Toggenburg und in dero Rammen

Adam Kübler, Basiliensis,  
der Zeit Decan und Diener der Kirchen  
Wattweil und Liechtenstäg.

Ne vero hoc Testimonium ceu domesticum rejiciatur, audiatur & alterum Præfecti Sancto-Gallensis, qui licet Grobii hostis infensissimus, tamen ne minimam vitii culpam in eum transferre potuit, suoque testimonio superius illud confirmat. Hoc ita sonat:

Ich Johann Rudolff Rheding zu Glatzbrug, Fürstlicher St. Gallischer Rath und Landvogt der Graffschafft Toggenburg etc. bekenn hiemit, demnach ohngefahr vor 2. Jahren Herr Jos Grob aus gedachter Graffschafft gebürtig, auf die Prädicatur zu Krumenau angenommen worden: anjezo aber, weil Er dero mit und neben dem Toggenburgischen Lands-Frieden harkommenen Ordnungen und Mandaten Sich nicht hat bequemen mögen, wiederum beurlaubet und erlassen ist: hat Er doch von mir, als Seiner Oberkeit einen Schein begehrt, wie Er Sich sonsten verhalten; Sieb Ihme darauf dieß Urkund, daß Er in Seinem Handel und Wandel die zeitbar, weil Er auf dieser Prädicatur gewesen, Sich aufrichtig, ehrbar und gemäß verhalten hat, daß Ihme soviel mir bewußt, nichts ungleichs oder unehrbarß zugemessen oder zugezehlt

supra §. XV. Hunc pastorum qua fide quove cum fructu administraverit, mox dicemus. Interim quod Deus suos ducat per angusta ad angusta, et bonorum sit Tutor atque *μὴ ἀποδοῦναι* GROBIUS nobis est exemplo. Pastoru enim Saletano quum ceu probus ac industrius Minister fuisset functus et Haganorum Conversioni omnem impendisset operam, Amplissimus MAGISTRATUS Turicensis eum die 8. Julii Ao. 1636. suæ civitatis munere donavit, quod postea ejus quoque posteris confirmatum dedit. Porro cum ex Seditio Vadiswilana *Jacobo Volemweidero* illius loci Pastori variæ ortæ essent lites, ipseque multis affectus injuriis a Magistratu promotus esset ad Parochiam *Flachensem*, huic Mense Majo Ao. 1647. in Pastoru *Vadiswilano* successor datus est noster *Grob. (a)* Hunc copiosum ac difficilem Gregem quadraginta quinque annos tanta cura pascebat, tanta

---

worden; Derhalben und damit Er fürbaß desto besser zu geniessen habe, habe ich Ihm auf Sein Bitt diesen Abscheid unter meinem adelichen angebohrnen Sigel gegeben, doch mir und meinen Erben ohnschädlich. Den 9. Nov. 1634.

(a) Ejus Nomenclator ex illius temporis more fuit gravissimus Reip. Quæstor Jo. Ludovicus Schneebergerus, summus Grobio nostro fautor; & memoratu dignus est loquendi modus, quo in eo nominando usus est. Cæterus Vadisvillanus ajebat, muro adhuc madido & recenti similis mihi videtur, ad quem exsiccandum, confortandum & exornandum ex mea conscientia Jodoco Grobio Pastore Saletano aptiorem ego scio neminem, ceu per quem Deus ædificium Reformationis Haganæ quoque extruxit atque exornavit. Hæc commendatio tantum valet, ut unamini Senatus voce in Pastorem Vadisvilanum fuerit electus.



e memoria recitare quiverint, & in universo cœtu nonnisi duos Catechismi libellos vidisse. Hagani autem vano Papalium cæremoniarum splendore ita obfuscati, atque efficaci superstitionis errore adeo dementati erant, ut pio monitori diu quam maxime asperos se præbuerint. Nam cum ipsis imperaretur, ut non solum ex quavis familia homo aliquis Concionem hebdomadalem frequentaret, cui officio ex lege veterum conventionum atque pactorum erant obstructi, sed etiam idem facerent diebus Dominicis & Catechisationi quoque publicæ in Templo Saletano interessent, omni nisu ac vi restiterunt & ad Ampliss. SENATUM Tig. provocarunt, a quo per quinque delegatos supplici prece petierunt, ut ipsis liberum in Religione arbitrium atque exercitium concederetur: Magistratus probe sciens, Christi Religionem non vi externa & politica, sed spirituali esse plantandam & propagandam, illorum petito gratosus annuit, [a] & Pastori suo Grobio commendavit, ut hos errore obfirmatos, sui erroris & clara veritatis

---

[a] Hac de re Ven. Antistes Breitingerus ad Jod. Grobium ita scribit: Hagani cum se ad hæc duo pronos promptosve præbuerint, partim ut Concionem hebdomadalem frequentarent, partim suos liberos tibi instituendos in Scholam mitterent, Senatus decrevit, hisce esse contentum, & ut ipsi a frequentatione Concionis & Catechisationis dominicæ pro hac vice immunes relinquerentur. Hoc decretum mihi pium & consultum videtur, nam duo priora exercitia illorum conversioni, si quidem illa Deo placuerit, sufficere possunt: & dein si die Solis in utroque loco sacris diversæ religionis interesse cogentur, non majus inde foret expectandum commodum, nisi ut tibi afferrent & animos exacerbatos & corpora defatigata. Tu tamen, tuo, ut facis, fungere officio. &c.

tatis demonstratione & prudenti institutione & pia consuetudine convincere sibi haberet curæ. At Grobio non cum uno hoste, cum solis Haganis, erat agendum & conflictandum, sed cum pluribus aliis, quippe pio hujus Reformationis operi JOSEPHUS Episcopus Curiensis, Monachi item & Sacrificuli *Benedurani*, qui Haganis erant Hierarchæ, & alii Sacerdotes ac Præsules Pontificii in vicinia fortiter strenueque se opposuerunt, & pugnarunt fraudibus, muneribus, minis, litteris hinc inde, etiam ad Ampliss. Magistratum Tig. datis. [a]

§. XXII.

Ut res ardua, & multa obstacula pio operi moram injicere illudque impedire videbantur, ob quæ piger ac timidus animum despondisset, tamen noster auxilio divino fretus in opere, quod cœpit, strenuus, prudens ac pius perrexit, omniaque fecit, quæ Saletanis in recepta fide confirmandis, & Haganis ad veram Christi doctrinam convertendis conducere existimabat. Hunc in fi-

E e 2

nem

[a] 1. Verba Ven. Breitingeri ex Epistola ad Grobium data in hanc rem ita se habent: Cæterum post tuas reditas allatæ sunt etiam aliæ ab Episcopo Curiensi, quibus Amplissimo Magistratui nostro exprobrat inconstantiam promissorum, quibus, ut ipse ait, Haganis cautum sit, ne qua Religionis causa ipsis creetur molestia. Verum responso congruo & Nobilissimum D. Præfectum tuum excusatum & D. Episcopo satisfactum esse, mihi persuadeo.

2. Ex his circumstantiis & multifariis iisque non exiguis impedimentis clare patet, hanc Reformationem non mere humanum, sed & divinum opus atque miraculum fuisse, quod pressius orsi in prima mea Concione seculari; vide §. XXV. in notis pag. 432. lit. a.

nem fida & amica cum D. Præfecto LOCHMANNO, qui in omnibus eum adjuvit, usus est familiaritate. Primum Præfecto conscio ex Templo Saletano clausis januis amovit imagines et alias Papatus reliquias atque cæremonias, et illarum loco Parietibus pia ex S. Scriptura dicta inscribi curavit. Dein conciones claras et Auditorum captui accommodatas concepit dixitque: Diebus Solis ex Capitum et versuum serie explicuit Evangelium S. Matthæi: In Concionibus Hebdomodalibus, quas frequentare etiam Haganæ ex lege tenebantur, tres annos exposuit ea Religionis capita, quæ inter nos et Pontificios sunt controversa, v. gr. de Divinitate et Auctoritate S. Scripturæ; de Satisfactione Christi; de Merito bonorum operum; de Adoratione Imaginum et Sanctorum etc. ad hanc rem rite tractandam ex Codice S. elegit textus doctrinæ exponendæ congruos, ex illis breviter quoad sensum litteralem explicatis articulum controversum dilucide definivit, veritatem christianam clare docuit et argumentis ex S. Scriptura sanaque ratione petitis firmiter roboravit, errorem ac hæresin Pontificiam absque ulla falsatione opposuit, illam et S. Scriptura et rationibus refellit, simulque objectiones diluit, et tandem adjunxit Applicationem, qua mentes Auditorum erroris et periculi, in quo versentur, convincere et suæ salutis sollicitos reddere studuit. In his, ut et in aliis Concionibus ab omni calumniarum convitiisque in Pontificios vel specie studiosè abstinuit, plerumque hac vel ejusmodi utebatur loquendi formula: Ecce Auditor charissime! hoc nos credimus docemusque, illud vero Pars nobis adversa: Nunc perspiciamus ex verbo θεοπνεύτω, quod est potentia

potentia divina omni fidenti salutaris, quinam in via veritatis, iustitiæ et salutis incedant, quique a via hac aberrant etc. et mox: Hac re perspecta, A. C. Deum honora, veritati cede et ad Christum convertere. etc. [a] Porro in Catechisationibus ex Catechismi nostri libello articulos fidei clare perspicueque etiam juvenum animis instillavit.

Non solum autem publice pro Cathedra docuit ἀλήθειαν ἐν ἀγάπῃ, sed etiam privatim et in vita quotidiana nulla in re suo defuit officio. In Scholis fuit frequens, comisque, ac curavit, ut infantes non tantum legendi scribendive, sed etiam Religionis elementis bene imbuerentur. Visitationes domesticas et apud Saletanos et apud Haganos summa fide ac diligentia peregit, ut singulos pro re nata sui admoneret officii. Et quia ipse non minus ac uxor erga omnes affabilis, comis, officiosus fuit, causa id erat, ut omnes et juvenes et senes, quin etiam Hagani Pontificii eum singulari amore amplecterentur; effecitque porro hæc Pastoris facilitas et humanitas, ut juvenes Saletani utriusque sexus sæpius tempore vespertino ipsum convenirent, quos in Religione et Cantu Sacro instituit; quid quod? nonnulli Haganorum, in quibus Evangelii φωσφόρος illucescebat, Pastoris Grobii amore ita capiebantur, ut præ timore aliorum noctu ipsum adirent et institutionem in viis Domini ab ipso peterent, quos suos Nicodemitas vocavit.

E e 3

Hi

---

[a] Has Conciones vocavit Theologiam Polemicam, quæ in unum volumen in Folio sunt conscriptæ, quasque, ni fallor, possidet Jo. Henricus Huldricus Rev. Pastor Ecclesiæ Lindaviensis in agro Tig. Grobii nostri pronepos.

Hi eo gratiores Pastori erant, quia ex illis cognoscere potuit, cæteri quid agant quidve moliantur. Cumque ex his Nicodemitis aliquando intellexisset, quod maxima Haganorum pars futura vespera ad res suas deliberandas sit conventura, ipse et D. Præfectus flexu viæ facto quasi aliunde proficiscentes per pagum Hag eunt, hosce convocatos accedentes et forte transeuntes amice salutant et alloquuntur: Boni Homines! non est dubium, quin boni quid deliberetis, Deus rem ad vestram salutem ducat, id quod etiam Nobilissimus D. Præfectus valde optat, simulque nos vobis vestrisque charis felicem precamur noctem. Hæc comitas Haganorum mentem non parum movit, illorumque consilium prosperavit. In primis tandem convictus est *Hans Rederer* contumacium adhuc princeps, qui autem ceu conversus Paulus nunc pro veritate et reliquorum conversione tantum militavit, quantam ei antea adversabatur.

§. XXIII.

Postquam Pastor Grobius hac ratione biennium ex limpidis S. Scripturæ rivulis hunc Ecclesiæ hortum rigavit & viam Reformationi stravit, rebatur, tempus affore, quo opus ipsum effectui detur. Itaque ex consilio & autoritate D. Præfecti Mense Majo An. MDCXXXVII. Haganos ad cœtum convocavit, ipsis amico & gravi sermone exposuit, & in quanto periculo ipsorum animæ versentur, & contra quanta ipsis offeratur salus: porro induxit, quantæ ex hac Religionis diversitate lites & incommoda ipsis in Provincia oriantur, quanta cum molestia, sæpius etiam vitæ discrimine ipsis Rhenum flumen sit transfretandum sacra si  
facere



facere vellent ; quod ipsi præterea soli sint , qui ex Magistratus subditis alienam sequantur Religionem ; quam gratum Magistratui , quamque proficuum ipsis foret multis modis , eandem cum ipso si confiterentur doctrinam ; & tandem lachrymans hortabatur , ut papatu relicto in Jesu Castra transeuntes veram ac salvificam Religionem amplectentes eam etiam publice profiterentur. Ad hæc Hagani responderunt ; se videre sibi que esse persuasum , quod bene de se sentiatur , nec quicquam sibi obesse , quo minus obtemperent , nisi quod ex templo Benedurano de jure & bonis Ecclesiasticis , quæ quater mille aureorum summam superent , participant , quod illorum Majores in illo cœmeterio sepulti jaceant , & quæ alia hujus commatis sunt ; quæ omnia ipsis forent relinquenda. Harum objectionum vim Pastor gravibus argumentis diluit & elusit ; & tandem , cum promisissent in crastinum diem de hac re se deliberaturos esse , illis valedicendo domum rediit.

Sequente tum die , Hagani ex promisso Comitæ Ecclesiastica cum haberent gravi de hac re deliberandi & consilium ineundi causa , atque interea Pastorem non lateret , quam insensus veritati Satanas sit hostis , quantis strophis , quanta vi Clerus Romanus & sacrificuli Benedurani huic operi reluctent , ipse in illa hora genibus provolutus ardentissimis Deum rogavit precibus , ut rem ad sui Nominis gloriam dirigeret & felici successu fortunaret. Preces cum ita funderet & rei eventum expectaret , advolat unus ex Haganis *Hans Rederer* , & cum id uxor ipsi annunciaffet : dixit ut olim David inter portas sedens : Si solus est , lætum ad-

fert nuntium : dein cum venisset alter *Hans Hagan*, dixit : Ethic est vir pacis ; & tandem cum magna turba hominum accessisset præ gaudio exultavit , ajens : Laus sit Deo , qui preces servi sui exaudivit & tanta fecit miracula ! Proin cum ad illos exivisset & humaniter salutavisset , ipsi significaverunt : quod per gratiam Spiritus S. illuminati , & ope concionum ejus de veritati convicti , ipsius monitis obtemperaverint , & omnes unanimi sensu , uno tantum excepto , qui a comitiis absuerit , decreverint , Spiritui S. & veritati non amplius contraire , sed cultui papali in perpetuum valedicere & Evangelicæ Religioni indivulsi adhærere : & Bona Ecclesiastica Templi Benedurani quod attineat , ejus rei & litis decisionem Magistratus arbitrio se esse commissuros : id unum tantum se expetere , hac vice mulieres , quarum cordibus idola adhuc infixæ hæreant , ut ne sollicitentur. Pastor hac re maximo gaudio lætatus ipsis de salutaris illuminatione & conversione valde gratulabatur & confirmationem in veritate recepta exoptabat , ipsos denique divinæ tutelæ ac gratiæ commendans dimisit.

§. XXIV.

Discessis Haganis Pastor ad D. Præfectum in arcem properat , et lætum de hac conversione nuntium affert. Hi duo viri cum omnibus suis multum gaudentes et Dei laudes deprædicantes , decreverunt rem absque ulteriori mora Tigurum perscribere , et quidem D. Præfectus ut id faceret ad Senatum Politicum , Pastor vero ad Senatum Ecclesiasticum. Ex arce Pastor cum rediisset , ecce ipsi obvius est unus ille Haganus , qui comitiis non interfuit , cum eo Pastor collocutus ejus mens

tem ita movit, ut exclamaverit: Ah me infelicem, an ego solus ex numero converforum excludar et a veritate deviavero? Pastor illum secum in domum suam ductum sui admonuit officii, consolatus est et cæteris parem converforum albo adscripsit. Sic omnes viri ex hoc pago confessionem veritatis Evangelicæ promiserunt, et Pastor Ven. D. Antistitem BREITINGERUM totius rei certiolem fecit hisce litteris: „ Cum Clarissime, Doctissime Vir, Domine ac Pater in Christo jugiter colende! Jesucidis illis Romanis in Japponia extremis illis orbis angulis tantam curam ac diligentiam in Conversionem Gentilium a diabolica ad papalem idolomaniam ac superstitionem nulli sumptui nec vitæ parcendo, impendere, Papam aliosque *ἐρεγοδοξίας* Primates, tabellariis terra marique emissis de progressu suo certiores reddere, grave non sit. Quanto magis veris veri Dei Athletis in vineâ altissimi laborantibus id unice incumbit, ut strenuam ac indefessam operam in convertendis animabus fidei suæ concreditis, sana ac pura puri puti Dei Verbi prædicatione fidaque juventutis in Fundamentis fidei S. institutione *ἐυναίγως καὶ ἀναίγως* instando, vitæque honesta transactione navent, & ab Antichristo ad Christum trahant, Conversas animulas tenerrimas lacte fideliter alant. Ut Præfecti Dynastiarum Potestatibus superioribus annuorum reddituum annuas rationes reddunt, sic et hi Jehovahæ ac fidei Ecclesiæ vere Catholicæ Antistitibus animarum non solum jam ante conversarum, quod nuperrime factum, verum etiam earum, quæ Christo et in posterum nomen dant, rationem

☞ reddant oportet. Et quid multis? opus sibi  
 ☞ commissum fidelissime peragant, animasque  
 ☞ Jehovæ lucrentur.

☞ Sane Venerande Senex, Pater in Christo sum-  
 ☞ me Honorande! Benedictio, qua Dominus la-  
 ☞ boribus in Conversione animarum curæ meæ  
 ☞ in *Haag* concreditarum, benedixit, gaudium  
 ☞ ad Cœtum Jesu Christi Alto-Saxo-Saletanum  
 ☞ inde redeuns, animique mei in Deo lætitia,  
 ☞ quo et R. V. hujus gaudii particeps fieri queat,  
 ☞ me rem scriptis declarare coëgit. Patres familiâs  
 ☞ cum liberis Saleti Conciones spontanea summa  
 ☞ cum animi devotione, divino annuente Spiritu,  
 ☞ publica fidei confessione præmissa, frequenta-  
 ☞ bunt, adque Festum Pentecostes proxime in-  
 ☞ stans communicando S. Cœnam Servatori jura-  
 ☞ mentum sacrum præstabunt. Pro hoc felicissi-  
 ☞ mo Conversionis auspicio Jehovæ soli sit laus,  
 ☞ honos et gloria in æternum!

☞ Has tenellas animulas, Venerande in Christo  
 ☞ Pater! pro gratia divina mihi concessa fidelissi-  
 ☞ me pascam Mysteria Regni Dei annuntiando.  
 ☞ Reliquis, de quibus sane spem concepimus ma-  
 ☞ ximam, ut via salutis [Ah Jehova Tu ipse illu-  
 ☞ minare eas dignare, sine Te enim sumus nulli]  
 ☞ innotescat, nullum lapidem summa discretione  
 ☞ publice et privatim immotum relinquam. Quo  
 ☞ vero in posterum modo et in Catechizando et  
 ☞ Scholam instituendo sim usus, coram lubet  
 ☞ magis ore, quam scriptis referre. Sin itaque  
 ☞ Venerande in Christo Pater! hoc de felicissimo  
 ☞ Pogressu, servandoque in rebus modo, ad in-  
 ☞ stitu-

„stitutionem necessaria quædam mihi demandan-  
 „da oretenus habueris, ocyus auxiliante Jehova  
 „præsto ero. Vale Venerande in Christo Pater!  
 „me meosque, ut hæctenus commendatos habe-  
 „re, et hæc *ὡς ἐν ταχὺ* boni consulere digneris  
 „oro rogoque. Saleti d. 9. Maji. „

§. XXV.

Pastor *Grobius* ceu alter Boas nisi in re perfecta non conquievit, unde etiam in Mulierum conversione omnem operam industriamque posuit, quæ brevi post tempore consecuta est. Cumque et hujus rei notitia Tigurum perferebatur, Ampliff. Senatus Gravissimum Reip. Quæstorem JO. LUDOVICUM SCHNEEBERGERUM in Provinciam Saxensem legavit, qui ad Evangelium recens conversos Haganos in gremium Ecclesiæ exciperet. Hic Legatus accedens ad diem Solis, qui fuit VI. Mensis Augusti Ao. MDCXXXVII. Saletanos et inprimis Haganos omnes utriusque sexus in Templum Saletanum convocari jussit, qui etiam obtemperantes loco et tempore condito comparuerunt. Cultus Sacer peragebatur, et quidem initium fiebat canendo Psalm. LXXVII. dein Pastor fusis precibus concionabatur in verba Hieropsaltis, Psalm. XLV: II. 12. *Audi puella, vide, ut aurem præbeas, & tuos populares patriamque obliviscare domum: & tuæ pulchritudinis amore capietur Rex: is enim tuus est Dominus tibi colendus.* Finita Concione Præstantissimus Legatus *Schneebergerus* in concionem prodiit, et Salutatione publica etiam Summi Magistratus Nomine facta sui adventus et præsentiae causam significavit. Et cum brevi sermone ea, quæ necesse esse existimabat, dixisset,

dixisset, primum viros Haganos nominatim ad se in anteriorem templi partem arcessi jussit, quorum singulis stipulata manu fidem promittentibus humano ac pio voto de conversione fuit gratulatus. Dein et mulieres cum vocarentur, illarum prima, cujus nomen *Anna Lex* (Haganorum dialecto *Menneli*) fuit, diu hæsitans venire distulit, quippe nihil hujusmodi expectans pudore, ut fieri solet, erat confusa. Verum Præstantissimus Legatus illam amice alloquutus: Veni, inquebat, *Menneli!* veni quæso! in Nomine Dei et felix ducito chororum! quæposito pudore prodiit, illamque cæteræ secutæ sunt, quæ omnes quoque fidei constantiam promiserunt. Et ita eo die centum et quadraginta novem animæ ad Gregem Christi reformatum accesserunt. Actus hic tandem finiebatur Cantu S. ex Hymno Ecclesiastico de Verbo Dei ejusque efficacia, cujus initium:

O Herre Gott! dein göttlich Wort  
Ist lang verdunklet blieben,  
Bis durch dein Gnad ist uns gesagt,  
Wie Paulus hat geschrieben. 2c. 2c. (a)

§. XXVI. Quam

---

(a) 1. Primus Infans Haganus dein die 18. Octobris 1637. ex S. Lavacro Ecclesiæ Reformatæ fuit initiatus, nomine Thomas, cujus Parentes Hans Hagmann & Anna Egli.

2. Secularis hujus Reformationis memoria recolebatur in duabus concionibus die 11. & 18. Aug. Ao. 1737. a me habitis, & dein typis Jo. Henr. Byrcklini Tig. Ao. 1738. in 8. in lucem editis, quarum prima ex Joh. III: 5. exhibet hujus Reformationis aliqualem Historiam, in primis quod illa Dei opus & Miraculum sit, urget: altera ex Ephes. V: 8. Religionis Reformatæ confessoribus officia præscribit & injungit.

§. XXVI.

Quam grata hæc Haganorum Reformatio summo MAGISTRATUI, omnibusque Probis fuerit, etiam ex sequentibus patet signis externis et muneribus. Nam I. illo ipso die, quo receptio S. fiebat, Nob. D. Præfectus omnes Haganos Patres - Matresque - familias, nec non Provinciæ tres Pastores et omnes iudices in arcem invitavit, qui læto convivio excipiebantur, ac illud aliquot horas piis et utilibus colloquiis concelebrarunt. II. Ampliff. Magistratus in signum Benevolentiæ Pastori *Grobio* jus Civitatis Tig. quo ipsum jamjam die 8. Junii An. 1636. donavit, non solum ipsi, sed etiam omnibus ejus Liberis Posterisque confirmavit; præterea quinquaginta Coronatus dono dedit, omnisque Favoris atque Gratiae fidem est pollicitus. III. Venerandus Senatus Ecclesiasticus in gratam hujus operis memoriam Pastori *Grobio* munus quadraginta florenorum contulit, et Haganis dono misit duodecim libros N. Testamenti, totidem Davidis Psalteria et quadraginta octo Catechismi libellos. IV. Etiam ipsi Hagani quanquam magnis opibus non præditi in signum grati animi Pastorem suum vaccæ munere honorarunt.

§. XXVII.

Nolo quenquam laceffere, et ut ne cui vel livor vel bilis moveatur paci studens silentio premam et calumnias et convitia, quibus Clerus Romanus ejusque Sacrificuli *Grobium* nostrum nomenque ipsius cum verbis tum scriptis prosciderunt; tamen mihi temperare nequeo, quin referam lepidam hanc Disputatiunculam. Sacerdos Beneduranus non multo post confectam Haganorum Reformati-

formationem venit in Arcem Forsteck, D. Præfectum *Lochmannum* invisurus; hic extemplo Pastorem *Grobium* accersi curat, qui dicto audiens at rerum inscius comparet. Hypocaustum Pastor noster cum intrasset et inopinus hunc sacrificulum vidisset, paululum expavit, se tamen statim colligens, ipsum salutavit et subridens dixit: Virum quidem Rev. non novi, sed tamen, quantum mihi conjicere datur, est Rev. Pastor vicinus in Beneduro, qui adeo magnifice ibi pro Cathedra de me fermocinatur. Ille attonitus respondet, se sibi non esse conscium, quod multam ipsius in Beneduro mentionem fecerit.

D. Præfectus autem januam claudens Biblia S. ad mensam profert et dicit: Nunc habeo quos jam diu volui, vos binos Pastores, me nunc edocete, cujus Religio sit vera ac salutaris, et cujus falsa; hic adest sanctum Dei Verbum, S. Biblia, ex his differite et rem vestram agite, ego audiam quis verum dicat, quique vestrum vincat. Pastor *Grobius* multum quidem sese excusat, dicens, quod non disputandi causa accesserit, nec quicquam hac de re sciverit, nihilominus se esse paratum, fidei rationem reddere, suamque tueri doctrinam et Religionem. Proin cum quæstio de S. Scriptura moveretur, Pastor *Grobius* statim argumentis claris demonstravit, quod sit divinum ac infallibile Spiritus S. verbum, adeoque verum, perspicuum et perfectum, ex quo Deus rite cognosci, et salutaris Religio atque orthodoxia hauriri et queat et debeat. His Sermonibus Sacerdotem Pontificium adeo constrinxit, ut præsentium Bibliorum folia hinc inde volvens dixerit: Hic est  
Liber



Liber Thuricensis. Grobius respondit : Tigurū quidem typis expressus, sed tamen divinitus inspiratus et sic vivum Dei Verbum; quo responso misellus homo ad ἐξεμυδιαν redactus dicebat : Si mihi clare probetur, quod hic liber, prouti heic in mensa jacet, ex cœlo venerit et deciderit, tunc credam, quod sit Dei Verbum. Hæc cum dixisset, D. Præfectus cachinnabatur, ajens: Grati- as ago Deo, quod hac vice de divina veritate et S. Bibliorum et salutaris meæ Religionis a Pastore meo edoctus ac certior factus sum : vestri autem vestrorumque me miseret, quod cæci in tenebris palpetis et alios quoque seducatis. Dein mensam sterni jussit et mutato colloquendi argumento per lætum convivium cum utroque amice ac hilare tempus trivit.

§. XXVIII.

Hæc fuit Haganorum et totius Saxensis Provin- ciæ Reformatio; ut autem non tantum doctri- næ veritas et puritas servetur, sed et morum pro- bitas ac vitæ sanctitas urgeatur, atque vitia et scandala, quantum pote, prohibeantur, consti- tuta quoque fuerunt in tota Provincia Consistoria Ecclesiastica, quibus D. Præfectus præest, & Pa- stor cum suis Senioribus vel cœtus Præsulibus, qui in quavis diœcesi sunt quatuor vel quinque ju- dices & totidem consistoriales jurati, qui ex lege Magistratus præscripta morum disciplinam obser- vant & exercent.

Ex illo tempore per integrum & dimidium secu- lum in hac Provincia Regnum Christi floret, tria habet templa & totidem Pastores, quos Ampliff. Senatus Tig. ex suis civibus eligit, & quidem hoc  
temporis

temporis articulo hi Pastores sunt Jo. Jacobus Dænikerus, Casparus Thomannus, & Jacobus Steinbrüchelius, ille Senosylvanæ Ao. 1736. iste Salletanæ. 1731. & hic Saxensi Ao. 1736. præficiébatur Ecclesiæ: omnes tres ex Legibus & Præceptis Synodi Tigurinæ officio suo fungi tenentur, ut die Solis ante meridiem Homiliam S. dicant, post meridiem autem cœtum ejusque præprimis juvenes Catechizando instituant; dein concionem hebdomodalem matutinam habeant, cui dies Mercurii destinatus est, & denique die Sathurni partem Capitis ex N. T. breviter explicent applicentque. Triumviratus quidem hic adscriptus est Capitulo Lacus Thuricensis, quia tamen per nimium loci intervallum ab isto distat, quasi proprium format collegium, in quo is, qui pastoratus annis cæteros superat, primum tenet locum & Senior (a) vocatur; ad hunc litteræ circulares (b) mittuntur, & ipse res Ecclesiasticas in hac Provincia moderatur. Semestrales visitationes ipsimet peragunt, ut bini tertium visitent, & dein rem peractam Ven. D. Decano Lacus Tig. perscribant, qui eam communibus suæ Classis actis inserit. Porro tres hi Pastores arctiori quam cæteri inter se conjuncti sunt vinculo varias ob causas, quia v. gr. alterum alterius vel absentis vel ad tempus ægrotantis vices agere oportet; quia Fori Matrimonialis sunt Assesores; quia bimestrem cum D. Præ-

---

(a) Ven. Breitingerus Jodocum Grobium appellare solebat Inspectorem Baronatus Saxensis.

(b) Triumviratus Saxensis litteras circulares non habet communes cum Capitulo suo, sed peculiare ab ipso Ven. D. Antistite accipit.

Præfecto in arce habent congressum ad res & Ecclesiasticas & Matrimoniales & Scholasticas cognoscendas & deliberandas.

§. XXIX.

Itaque necesse duco, ut paucula quædam de Scholis commemorem. In tota Præfectura septem sunt Scholæ; una in Sax, unaque in Frömsen, quæ sunt diœceseos Saxensis. Dein duæ in Senwald & una in Lienz, (a) quæ cœtui Senosylvano inserviunt; denique una Saleti atque una in Haag, quarum inspectio Pastori Saletano incumbit. Scholæ nonnisi tempore hyberno frequentantur, & olim circa Martini Festa demum incipiebantur: Consultissimi autem Legati Tigurini, quorum supra §. X. memini, Ao. 1714. constituerunt, ut anticipentur & initium fiat ad Galli Feras St. N. [unde & Præceptoribus ex publicis sumtibus merces fuit aucta] quæ postea usque ad Paschatis Festum continuantur. Interim tamen, liberi ne plane obliviscantur, quæ in hyeme didicerunt, per æstatem singulis hebdomadibus frequentationi Scholæ dimidius dies est destinatus, (b) quo Præceptores Scholares suos in legendo exercere debent; porro diebus Dominicis ante publicam Catechisationem juniores ex Catechismo cum majori tum minori examinant, &

Tom. V.

Ff

tandem

(a) Hæc recenti demum tempore opera Pastoris Joannis Pfenningeri fuit erecta.

(b) Rev. Pastor Pfenningerus Scholæ Lienzensi centum florenos legavit hac lege, ut illa etiam æstivo tempore per singulas hebdomadas tres dies vel ante vel post meridiem habeatur.

andem finita Catechisatione adultiores in canendis Psalmis instituunt.

Merces vel minerval Præceptoribus penditur tum ex Pagi Fisco, tum ex Magistratus beneficio, tum ex piis legatis, (a) adeo ut liberi Provinciales nulla sua impensa Scholam frequentare & institui possint, unde etiam fidei Pastorum cura per Dei gratiam res eo provec̄ta est, ut paucissimi sint, qui si ad S. Cœnam admittantur, germanice legere & Catechismum memoria recitare nequeant.

Jus denique Præceptores eligendi ad Venerandum D. D. Examinatorum Collegium pertinet, quia vero iter nimis & longum & sumtuosum, quo minus qui Præceptoris munus ambiunt ex more sueto ipsis examinandi accedant, ex illorum jussu tales in arce præsentate D. Præfecto tres Pastores examinant, rem Ven. D. Antistiti litteris, per manum quidem Pastoris, ex cujus diocesi Præceptor eligitur, exaratis sed, tamen ab omnibus hujus Examinis Assessoribus subscriptis perhibent, eum qui ipsis optimus atque Scholæ aptissimus videtur, commendant, qui etiam a Ven. D. D. Examinatoribus eligitur & confirmatur.

Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

EPI-

---

(a) Honoratissimus vir Beatus Zieglerus, cum præfectura Saxensi laudabiliter fungeretur, effecit, ut Scholæ Frömsensi trecenti; & Scholæ Haganæ centum & triginta floreni fuerint legati, quorum annuus usus fructus Præceptorum mercedi cedit.